


tere
fir
Gall
fi
in
is é
sue
is re
ara/
lin
B.
mē
quo
sto
ulta
po/
gno
fira
dicar
obser
retur
chis
lum
dico
let
uctu
ant
is tu

[Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page]

OR
R



280
[Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page]

ORATIO IN FVNERE
REGIS CATHOLICI

M · Antonius Magnus Andreae Carrafae :
Sanctae Seuerinae Comiti ; Meccenati suo · S ·

Cum orationem quatrídúo a me (ut scís) excusam ; & in fu-
nere Ferdinandi Catholici Regis publice habitam ; nunc
ita festinanter edere cogas ; pro tua in Regem ipsum perpe-
tua obseruantia ; ingenue fateor ; non mea sponte ; nec libé-
ter id facio · Noui enim meam supellectilem ; & quibus me
exponam iudiciis uideo . Sed mihi erit pro clypeo nota om-
nibus ; & manifesta celeritas · Erit etiã tuí nominis & uir-
tutum splendor ; qui orationis defendent inelegantiam ·
Quamobrem tu ; cui summa studiorum meorum debetur
omnis ; portionem hãc accipies ut tuam ; & eo magis ; quia
eam tuo & consilio ; & (quãtum pro tuís summis occupatio-
nibus licuit) doctrina etiã exornasti · Vale ·

Neapolí quarto nonas Martii **MDXVI**

281

M. ANTONII MAGNI ORATIO
HABITA NEAPOLI IN FVNERE
FERDINANDI HISPANIARVM
REGIS CATHOLICI
CALENDIS MARTII MDXVI

g Rarissimum mihi honus incumbit Prorex illu-
strissime; uiriq; præclarissimi; atq; ita graue; ut
sit mihi pertimescendum; ne; quæ meæ sunt ui-
res exiguæ; tanto sub pondere opprimantur. Di-
cendum est enim eo de Rege; qui (pace Regum omnium di-
xerim) nedum præsentium; sed præteritorum omnium fortu-
nam & gloriam superauit; Dicendumq; in hac celeberrima
hominum illustrium; doctissimorum; & ornatissimorū fre-
quentia. quibus nihil nisi perfectū ingenio; atq; elaboratum
industria afferri oporteret. Sed cum hæc prouincia quæ iure
optimo tot summis in hac urbe oratoribus conueniret; mihi
ab his longe inferiori sit demandata; in hac tanta necessitate;
& temporis breuitate; cum mecum reputo; nec pœnitentiæ
locum dari; nec regrediendi sine maxima ignominia potesta-
tem; quo necessitas impulit; me conuertā; idq; agam; quod
homines in uitæ manifesto discrimine positi sæpenumero effi-
cere solent; quibus dat uires nimius timor; audentibusq; ali-
quando fortuna aspirat. Nā aut gladiis; telisque inimicorum

undiq; cincti: aut periculi noua aliqua atrocitate compulsi:
ob eam ipsam causam: quia maxime metuunt: metu abiecto:
tanq; nihili pericula facientes: uiribus longe maiorem animu
resumunt: ausiq; omnia persæpe pericula euadunt: eduntq;
fortia atq; admiranda. Idem mihi ut ex uoto succedat: Deus
ipse optimus maximus faxit: qui Regem hunc: de quo sermo
futurus est: iis uirtutibus: & gloria insignibus exornatum
esse uoluit: ut in hoc uitæ supremo tempore imparem meri-
tis laudationem habere nō mereatur. Vos autem uiri illustris-
simi: pro uestra & sapientia: & mansuetudine oratos uolo:
atq; obsecratos: ut uacuum mihi: & benignum animum: at-
tentasq; aures præbere non recusetis. Nec ex orationis meæ
tenuitate & parsimonia: summi huius: & præclarissimi Re-
gis laudes metiamini. uel me tanq; nimis audacem improbe-
tis: qui prouinciam tantam assumere ausus sim: sed potius
præstâtissimis ipsius Regis uirtutibus imbecillitatem meam
pensetis. quibus quidem fretus: splendoremq; animo præme-
tiens: quo mea posset illustrari exiguitas: uestra etiam huma-
nitate inductus: fidentius me candidissimo iudicio uestro ex-
hibui. Quod si (ut spero) in optimam partem accipiet quic-
quid a me tantæ impar materiæ dictum fuerit: a uestra me re-
creatum & adiutū benignitate ingenue fatebor. Cum itaq;
Ferdinandī Regis Catholici & inuictissimi nuper uita functi
memoria cumulâtissimis honoribus sit prosequenda: tempe-
rare mihi non possum: ut anteq; ad eius laudes deueniam: tã-
ti Regis mortem: tantam non modo nostram: sed totius
Christianę religionis iacturam deplorem. Amisimus: pro
Deus immortalis: Regem: qui auctoritate & potentia pa-
cem: iustitia quietem & securitatem: liberalitate præsidium

deplorat morte regis

29

omnibus præstabat. Amisimus inq̄ Regem: cuius si a cælo nobis optio concederetur: non aliis prorsus: q̄ hic ipse uotis omnibus esset expetendus. Quis unq̄ uno in homine uidit tantas dotes: Prudentiam dico: Iustitiam: Auctoritatem: Felicitatem: Nullus (mihî credite) nullus: non modo Regum: quos nostra uidit ætas: sed a priscis Romanis antiquorum omnium: nec magnitudine rerum gestarum: nec continuatione magnanimitatis: cum eo est conferendus. Neminem in comparationem adduxerim: quæ plerunq̄ solet esse odiosa. at si uestra prudentia: rectaq̄ mente cuncta considerare: aliorumq̄ Regum: Ferdinandiq̄ res gestas ad lances perducere uolueritis: cognoscetis profecto: quanto eius uirtutes & benefacta plus habuerint p̄deris. Id quod in dies magis magisq̄ experimento comprobabitis. O iacturam ineffabilem. O præsidium rebus nostris perditum. O mortem intempestiuam. Lugendum est profecto uiri amplissimi tantî Regis casu: nec solum a nobis lugendum est: sed moenia: sed templa: sed parietes ipsi pro tam immensa iactura lacrimas deberent effundere. Nam eo superstite & incolumi: alicuius bella & iniurias non uerebamur: eramus tuti: uiuebamus sine timore: nostrum quod erat: poteramus dicere uere nostrum: & licet Italia fere tota bellis atq̄ armis iam tot annis undiq̄ perstreperet: nos tamen sub Ferdinandî huius inuictissimi clypeo pacis muneribus fruebamur & cõquiescebamus. Sed quoniam ita cœlitus comparatum est: & quæ nostræ non sunt potestatis tentare superuacaneum patet: nec pro rebus laborare: ubi nulla sunt ualitura remedia: debemus: sapientissimorum hominum potius præcepta & uestigia imitati: necessitatem naturæ: & fatorum legem immuta-

*desla
mat*

De Hispania

bilem æquo animo feremus : quæ lamentationibus aut lacrimis
prosequemur . Summiquæ & singularissimi Regis memoriam :
res gestas : incredibilescque uirtutes (quandoquidem huc pro-
pterea conuenimus) immortalitati pro uiribus omnes conse-
crabimus . In quo quidem munere obeundo : maximam mihi
commoditatem oblatam esse uideo : cum in amplissimo uirtu-
tum campo : quoscunque mihi flores libuerit : decerpere sit con-
cessum . Nec dubitandum est : ut oratio mihi possit deesse :
cum modus potius : quæ copia in dicendo mihi quaerenda sit .
h. m. Obruor siquidem rerum abundantia & uarietate . Nam si ab
Hispaniæ prouinciæ laudibus initium sumam : in qua Ferdin-
andus Rex traxit originem : non ante finiero : quæ tempus
omne mihi permissum ad dicendum uidero elapsum . Si Hispa-
norum Regum res gestas a primordio recensere uoluero : in-
gentem potius historiam : quæ orationem contexere mihi
erit necesse . Si item unius Ferdinandi Regis Catholici res
domi : forisque gestas : animique & corporis ac fortunæ in illo
dotes commemorare proposuero : sentio me rerum lectissi-
marum mole grauari : atque penitus opprimi . Sed multa uobis
omnibus nota consulto præteribo : plura breuitate temporis
coactus : silentio prætermittam . est enim consuetudini obse-
cundandum : cum orationis prolixitas sit tantopere tædiosa .
Pauca tantummodo e multis deligam : atque eadem si non arti-
culatim & distincte explicabo : attingam tamen : & prope
degustabo . Deque Hispaniæ gentis laudibus id unum mihi
in primis dicendum constitui : gentem ipsam supra cæteras
omnes spectatissimæ semper fuisse fidei : & opinione ingenii
ac fortitudinis celebrem . Cuius rei : præter exempla innume-
ra : testimonium præbuit amplissimum C . Iulius Cæsar

De Hispaniæ gente laudes

Imperator omnium eminentissimus : rei que bellicae peritissimus : qui sibi Hispanos ad custodiam corporis ex omnium gentium militibus delegerat . quos nisi senatusconsulto : ac iureiurando remouisset : forsitan coniuratorum manus : & in se caedem euitasset . Quis ergo rectius fidem & strenuitatem hominum nosse poterat : quam is Imperator : qui & iudicio : & militia gloria mortales omnes (consensu etiam inimicorum) antecelluit ? Sunt Hispani corpore ad tolerandam inedia : laborumque : animo ad mortem parati : bellumque : quam otium malunt : & (ut ille inquit) si extraneus deest : domi hostem quaerunt . Saepe tormentis pro silentio rerum creditarum immortui : adeo illis fortior taciturnitatis cura : quam uita . Denique nulla gens similior Italis : nostrisque moribus conuenientior : quam Hispana . Sunt etenim uere Romani : imo seruant adhuc Romanorum & spiritus : & mores : & fere linguam . Quandoquidem (ut scriptum reperimus) plurimae sunt a Romanis deductae coloniae in Hispaniam . Vicinitas quasi quaedam : & caeli similitudo quae mari hoc tantummodo mediterraneo diuiditur : efficit : ut idem fere sint Itali atque Hispani . Dicam ne quot Caesares : & summo dignos imperio dederit haec prouincia : quot poetas : quot oratores : quot denique uiros in diuorum numerum a nostris relatos : Longum nimis esset hos omnes nomine recensere . Sed unus mihi pro omnibus hic Ferdinandus Rex uere Catholicus satis sit : qui si Hispania per seipsam ab aliis non satis fuisset illustrata : posset ille suo splendore : lucem & gloriam patrio solo afferre . Sed haec quidem hactenus de Hispanis . Nunc de Ferdinandi prosapia dicturus : si ab ouo (ut aiunt) inciperem : frustra tot Regum nomina in medium afferrem . Hoc tantummodo dicam asseueranter :

fidely

*12. In
bonis
tine*

3. ferret

*A 200
my 814*

multe ex hispania honorata sunt haec

de rebus Ferdinandis

7304
Ferdinandí progeniem a Gotoꝝ quōdam Regibus originem
duxisse: & in Hispania ab hinc anno supra octingentesimum
sine intermissione regnasse. atq; ex eius familia per tot secu-
la illustrissima: ueluti ex equo Troiano proceres illi: sic Re-
ges prodiisse septuagenarium numerum excedentes: usq; ad
Ioannem ulterioris Hispaniæ: quæ nunc Castella: Regem
præclarissimum. Ex quo nati sunt Henricus qui successit in
regno: & Ferdinandus frater: qui olim tam pie: tãq; ma-
gnanime fratris filium paterno in regno cōfirmavit. Audite
quæso uiri magnates: audite rem admiratione & laude dignis-
simam. Nam mortuo Henrico Rege: superstitē sibi infan-
tulo Ioāne filio: qui postea eius Helisabethæ pater fuit: quæ
Ferdinando Catholico nupsit: Ferdinādum demortui Regis
fratrē tum spectatissimæ apud omnes uirtutis uirum pleriq;
hortati sunt: ut sibi id regnum uendicaret. At ille non minus
prudentiā: q̄ iustitiā insignis: mira dissimulatione rem pro-
traxit: animosq; omnium pro tempore & detexit: & dexte-
ritate detinuit. Tandem conuenientibus cunctis regni proce-
ribus & primatibus Toletum: ut qui Rex futurus esset: in-
telligerent: existimantibusq; Ferdinandum se ipsum Regem
declaraturum: nulla ipse regnādi iniusta cupiditate allectus:
regiam sellam alto in suggestu iussit collocari: in mediumq;
prodiens una cum paruulo fratris filio: ipsum humero impo-
situm cunctis ostendens: Hic inquit proceres Rex noster est
iure & merito a nobis colendus. & ideo more nostro huic fi-
de & iureiurando polliceamur: sub eius nos imperio perman-
suros. Mox in solio coaptatum infantulum: primus ipse cœ-
teros omnes edocuit: quo pacto & Regis pedē oscularentur:
& in eius uerba iurarent. Quod magnanimi uiri factum

summ̄is est profecto laudibus extollendum. Pulchre est siquidem regnare: sed pulchrius (mihi credite) regnandi occasionem repudiare. Quando Seneca teste: Regnum est: nolle regnare: cum possis. Sed uirtus quæ neminem unquam irremuneratum reliquit: in causa fuit: ut non multos post annos: Martino Rege citerioris Hispaniæ: quæ nunc Aragonia: uita functo: Ferdinandus iste a magnatibus & populis in Regem fuerit cooptatus. Sed non tamen sine Regis sui uoluntate: se recepturum regnum legatis respondit. Aequum profecto fuit: ut is qui regnum cesserat: regno dignus: in regnum assisceretur. Ex hoc igitur Ferdinando nati sunt Alfonso ille magnanimus: qui primus Neapolitanum hoc regnum sua uirtute & armis parauit. Et Ioannes Nauarræ deinde Rex: qui post obitum Alfonsi fratris in Aragonio regno successit: fuitque Ferdinandi huius Catholici: de quo agimus: pater: & strenuus adeo: atque inuicti animi: ut quantum non usque adeo potens ac fortunatus: tamen nihilominus in bello finitimo contra gallos: hostibus semper terrori fuerit: atque formidini. Igitur ex tanta tamque longa Regum serie Rex noster Ferdinandus Catholicus patre Ioanne: matre uero Ioanna Federici Almirantis Castellæ filia ortus est: in Hispania Tarraconensi: & in pago Sossii: quinto idus Martii: anno a Christi natali quinquagesimo secundo supra millesimum quadringentesimum. Qui in infantia summis (ut par est) deliciis educatus: ex quo fieri & cognoscere cepit: uix puerile aliquid unquam admisit: sed quod primum ad grauitatem: ad continentiam: & ad religionem se cohibuit. Igitur sub patris fortissimi uiri disciplina: in armis semper: atque in laboribus: militiæ prima exercuit rudimenta. Puerque adhuc cum esset in patris exercitu

qui Gallis hostibus cædebat apud Emporium : cumq; puero
armigero pone sequenti Ferdinandi galea excidisset : urge-
rentq; accelerarentq; gradum socii : nec de ea curandum dice-
rent . Tum Ferdinandus : Quid ni curandum ? inquit : & si
hostes adessent : non ne galea hæc esset armis recuperanda ?
Mox equo descendens : arrepta galea : mira agilitate equum
insiluit : cædentesq; est profecutus commilitones . Quod in
puero proculdubio futuræ uirtutis extitit argumentum .
Nec minus etiam cum a patre missus cum exercitu apud Ca-
lafam : eosdē Gallos hostes strenuissime profligauit . Patrem
quoq; olim a potentissimis Gallorum copiis obsessum in op-
pido Pirpignani : cuius etiam arx aduersus eum hostiliter se
agebat : & obsidione liberauit : & ipsos hostes etiam fugauit .
Quibus quidem gestis : uix excesserat ex ephæbis : cum Io-
annes pater eūdem dignissimum iudicauit : cui Siciliæ regnū
traderet . Rex itaq; Siciliæ factus Ferdinandus : paulopost
ad accipiendam uxorem Helisabetham Castellæ Reginam pro-
fectus est : regio quidem : sed modestissimo tamen comitatu .
Offert mihi se nunc amplissimus locus : in quo (si per tempus
liceret) pro arbitrio expatiari possem . Helisabetha enim hæc
Regina mulierum omnium quot sunt : aut fuerunt unq; ex-
cellētissima : huberem dicendi materiam mihi præstaret : sed
ad Ferdinandum oratio est reducenda . Qui se dignam uxo-
rem nactus : eam non modo thori : sed consiliorum omnium
uere consortem : atq; participem semper habuit . Cum ea
etenim regna pari auctoritate & nomie gubernauit : & simul
etiam bella intrepide suscepit : strenuissime gessit : constantis-
sime perfecit : & ad inclytæ uictoriæ culmen perduxit . Ex
eaq; liberos suscepit : marem unum Ioannem : qui post

phos q; helisabetha

Margaritam Maximiliani Caesaris filiam in uxorem ductam; adolescentulus adhuc; uitam cum morte commutauit; & foeminas quatuor: quarum prima Lusitaniae Regina fuit; secunda haec est Ioanna Regina; quam dominam habemus; tertia item Lusitaniae Regina; quarta uero Britanniae; quae nunc Anglia; Regis filio fuit matrimonio iuncta. Sed praetereundum non est bellum illud statim exortum; postquam Ferdinandus in uxoris regnum euectus est. Factiones enim insurrexerunt magnatum quorundam Henrici Regis Elisabethae fratris defuncti successioni cuiusdam eo in regno temere fauentium. Quos Ferdinandus inuito prelio apud Ulmeti oppidum fortissime fudit; uicit; atque prostrauit. Eosdemque iterum una cum Lusitano Rege uires resumentes; & cum Ferdinando signis collatis in pugnam descendere ausos apud Tori ciuitatem; ita repressit; ac penitus oppressit; ut nullae deinde eorum reliquiae resurgere ausae sint. imo qui reliqui ex ea pugna superfuere; ad Ferdinandi clementiam confugietae; & perbenigne recepti; & ab eo perliberaliter habiti semper fuere. Rebus regni compositis Ferdinandus; ne ignauo; & sibi inimico ocio torpesceret; ad hostes Christi debellandos animum adiecit. Maurosque primam perfidos Granatae regnum; quae olim Bethyca regio dicta est; per octingentos prope annos obtinentes; & incursionibus assiduis finitimos lacessentes; bello adortus est. In quo quidem non modo hostem saepius deuicit & profligauit; sed post labores duodecim annorum fortissime exanclatos; non sine maximo dispendio; & Christiani sanguinis effusione; tandem prouinciam ad dedicationem coegit; Maurorumque Regem potentissimum debellauit; populosque omnes Christi baptismo insigniuit; totamque

1
2
3
4

Lusitania

Lusitania

800. annis be regitate

12. annis

agendam regno. 12. annis B ii

H
definitio belli de mauris

penitus littoralem ad Gaditanum usque fretum liberavit Hispaniam ab imperio infidelium. Qua in re si pietatem Regis in Deum considerare uoluerimus: cui tot redemptas animas consecrauerit: nihil religiosius. Si belli difficultatē: ut pote quod actum sit cum pertinacissimis hostibus: qui ultra quinquaginta hominum milia in armis eduxerant: luce clarius patebit: nihil aut difficilius: aut periculosius tentatum unquam. Si denique uictoriam tantam animo uoluerimus: nil honorificentius: nil perpetuæ gloriæ Christiani Regis cōsultius euenire potuisse fatendum erit. In hoc bello Ferdinandus non modo ducis atque imperatoris: sed militis etiam: ac bellatoris munia pro Christi nomine generosissime obibat. Quoties manus cum hoste conseruit? Quoties belli discrimina pertulit?

sy Non mihi si linguæ centum sint: oraque centum: omnes illius belli euentus: atque imperatorias Ferdinandi uirtutes non dico exornare: sed enarrare possem. Illud non duxi prætereundum: quod olim apud Loxam Petro Girono Calatrauæ Magistro: Regisque præfecto in pugna a Mauris caeso: inclinatum & fugientem aciem Rex sua Virtute restituit: obsistens enim fugientibus: & primus ipse in hostes irruens: tantum pudoris militum animis incussit: ut labantem belli fortunam diuino animi ardore & confirmauerit: & uictoriã etiam reportauerit. Quemadmodum item eodem in bello: cum oppidum Velesmalacham Rex obsideret: & adueniente Maurorum Rege ualido cum subsidio oppidanis: e uicino colle: ubi confederant: in castra regia esset incursum: atque nostri cedere cogerentur: equo primum descendit Ferdinandus: & suo exemplo milites exhortatus: inter primos prelio se imiscuit: paulopost mulam insiliens: ne fugam parare uideretur:

2 Rex in medio inter bellantes refugerat

contractisq; & in ordinem redactis militibus: tantum suis
 praesidii & roboris adiecit: ut & hostes fugarit: & obsessum
 oppidum mox in deditiōem acceperit. Desinat ergo anti-
 quitas admirari Scipiones: celebrare Alexandrum: laudibus
 extollere tantūmodo Cæsares: cum etiam nostro hoc seculo
 in Ferdinando Rege disciplinam militarem renouatam: &
 regna bello subacta aspexerimus: tum quicquid a præclaris-
 simo uiro fieri aut excogitari potest: factum: & ante oculos
 positum uiderimus. Nec finitimo hoc tantum regno conten-
 tus Ferdinandus: in cæteras quoq; orbis partes orthodoxæ
 fidei splendorem extendere nunq̄ destitit. ut tandem (qd̄
 summe & in primis concupierat) e belluarū manibus Christi
 sepulchrum posset eripere. Pati enim nullo pacto poterat
 ignominiam tātam Christiano nomini inflictam: ut ea loca:
 in quibus Christus Deus natus & mortuus esset: ab eius no-
 minis hostibus possiderentur: uiliq; penderentur. Vnde in
 Africam iamdiu ab immanissimis hostibus occupatam: nihil
 quoad uixit habuit antiquius: q̄ instructissimis classibus
 exercitus: & potentissimas manus traicere. Adeo ut sapissi-
 me cum hoste conflixerit: plurimasq; uictorias reportarit.
 Testis est Mazalchabir oppidum munitissimum pugnacis-
 sime a Mauris defensum: sed a Ferdinandi exercitu pugnacius
 expugnatum. Testis Oranum. Testis Bugiæ regnum in
 Africa a Ferdinando subactum: imperioq; ad hunc usq; diem
 retentum. Testis Tripolis urbs quæ a tribus unitis oppidis
 dicta: & Africano in litore populosa: a Ferdinandi militibus
 ui subiugata est. Testes insulæ in Oceano: nunc Canariae:
 olim Fortunatae: nunc Hispana: Helisabetha: Sancti.
 Dominici: & Sancti Ioānis ab eo dictæ: olim aut; Onbrion:

Luis

 Hic
 voluit
 age

He

Oran

Tripol

Canaria

Iunoniæ; Caprariâ; Niuariâ & Canariâ. Quas omnes dis-
pendio & difficultate inenarrabili duce Columbo p̄quisiuit;
inuenit; atq; catholicæ fidei ueritate illustrauit; infinitasq;
India prope animas ab Orci faucibus redemit. Testis deniq; nouus
orbis; infinitæ quasi magnitudinis; ultra æquinoctialē plagā
repertus. Debellata littora. Siluestres homines; atq; antro-
pophagi humanis carnibus uescentes; ferinoq; ritu uiuētes;
ad cultum; ad mores; & ad Christianam ueritatem adducti.
Adeo ut non solum Maumetana gens tota Ferdinādi nomen
pertinuerit; sed etiam Antipodes ipsi tantī Regis famam &
gloriam uenerentur; atq; admirentur. Qui quidem omnes;
audita ipsius morte; se magna proculdubio formidine libe-
Conat ratos esse sentient. Id enim in primis Ferdinandi animo insi-
ujs tum; & (ut ita dicam) insculptum erat; ut nomen Christi
(quoad posset) propagaret; ut eius sacratissimum sepulchrū
recuperaret; & ad usq; Auroram & Gangem crucis uexillum
figeret. Quod profecto ab ardentissima illius in Deum pie-
tate & magnanimitate factum fuisset; nisi hæ Christianorū
principum dissensiones & bella; animum Regis ad res suas
tutādas diuertissent. Sic utinam unanimes cœteri Christiani
principes fuissent; uiresq; suas aduersus hos hostes experiri
uoluissent; gladiosq; quos inter se ipsos acuerunt; atq; arma-
runt; in Maumeticam rabiem conuertissent. Ferdinandus
Turca audito Turcorum aduentu cōtra Venetos; potentem statim
Abene classem armauit; misitq; in auxilium Christianorum; præfe-
Jul cto Consaluo Ferdinando qui postea Magnus Dux a rebus
gestis est appellatus. Hic Cephaleniā insulam in Ionio a
Turcis occupatam & strenue expugnauit; & magnanīme in
Venetorum detulit potestatem; repressitq; una cum sociis

grā capitan consaluo fernando

salvati g. m. h. v.

Turcorum impetus uiolentos. Præteream nunc expulsos ab
 obsidione oppidî Salicis Gallos; adueniente siquidem Ferdinã
 nando Pirpignanum; statim omnes; & propere in Galliam
 repedarunt. quos etiã persequi dedignatus est Ferdinãdus.
 Repetam ne notissimas uobis eius uictorias in Italia? Quã
 tum nomen? Quantam auctoritatẽ sit apud omnes adeptus?
 Quæ omnia profecto non alicui sunt tribuenda; nisi Ferdinã
 nandî prudentiæ & auctoritatî. Quis enim apud Cereniolã;
 & eodem fere tempore apud Terramnouam; uictoriã contra
 Gallos dedit? Prudentia. Quis apud Lyrim iterum reuersos
 Gallos fregit; ac penitus deleuit? Prudentia. Quis Mazal-
 chabir in Africa? Quis Bugiæ? Quis Tripolis direptionẽ?
 Prudentia. Quis imperium ultra Oceanum propagauit?
 Prudentia. Quis deniq; tot uictorias? tot triumphos? tot
 debellatas nationes? Prudentia. Quæ prudentia? Prudentia
 inq; pietate & religione munita; quæ in Ferdinando Catho-
 lico & felicissimo eluxit. cuius auspiciis bella hæc omnia gesta
 sunt. Recuperauit Rex summus regnum hoc Neapolitanũ
 hæreditate sibi debitum. Gallos ter collatis signis; militum
 numero inferior; sua fortuna; & ducum uirtute superauit;
 prostrauit; & ad internitionem propulsauit. Postquam uero
 in liberam regni huius possessionem euectus est; quid unq;
 prætermisit? imo quid non effecit? ut discordias omnes com-
 poneret? ut unicuiq; quod suum esset redderetur? ut tandem
 in pace omnes; atq; in tranquillitate uiueremus? Hac ego in
 re uiri amplissimi diutius non morabor. quæ licet materiam
 laudandî mihi dare posset amplissimam; res tamen uobis
 omnibus notissimas commemorare; superuacaneum duxi.
 Obstupescant certe posterî; cum audient tantas uictorias;

ppina

h. m. h.

g. m. h. v.

m. h. v.

napoles
sele d. h. v.

g. m. h. v.

tot regna domita atq; subacta: tantum terrorem malis a
Ferdinando incussum. Bonis: Di boni: quid non impertitum
est? Veluti in illa reguloꝝ huius regni restitutione & compo-
sitione. in qua quidem nec prudentiam: nec iustitiam: nec
magnanimitatem aut liberalitatem: ceterasq; uirtutes unq;
fatis laudare possemus. Quamobrem (ut Stoici) cogimur
fateri: ut qui uirtutem unam habeat: omnes simul habere ne-
cesse sit. Tacebo res in Hetruria gestas te Duce Raimunde
magnanime Prorex: Prati expugnationem: Florentiam obse-
quentem: & in Cenomanis: Brixia & Bergomi deditioem:
Patauinoq; in agro pugnam illam & uictoriam memoratissi-
simam: cum post circumta Venetorum littora: qua nunq;
exercitus peragrauit: per medios hostes uictor reuersus es.
Qua omnia Ferdinandi fortunae: & tuae uirtuti sunt ascri-
benda. Regnum praeterea Nauarrae paterna haereditate sibi
obueniens quarto ab hinc anno Ferdinandus solita uirtute
recuperauit: Gallorumq; exercitum Regi hosti fauentem
expulit ab iis finibus Pyrenaei. Regina etenim Germana
Gallica a Ferdinando in uxorem ducta: id iuris omne eo in
regno sibi assumebat: quod quiuis praeter maritum Ferdi-
nandum sibi poterat uendicare. Quamobrem Ferdinandus
praeter regna Aragoniae: Valentiae: Siciliae: & alia sibi a patre
relicta: nullocq; prope labore parta: quatuor haec: Castellae:
Granatae: Neapolis: & Nauarrae sua uirtute: armisq; copar-
auit. Sed de fortitudine cum dixerimus: ad alias quoq; eius
uirtutes transeamus. Et licet in unaquaq; re imorari abunde
possemus: breuitati tamen est consulendum. Fuit igitur
Ferdinandus statura procera: & uere regia: formaq; & oris
maiestate tata: ut ad imperium natus: ac prope a Deo immortali

in h. *Uirtute*

2097
ministe
de p. m.

res in
seruam

4^{us} res
m

Stamm & d. d. p. h. p. p.

for
inu
tine
a qu
sue
cilli
coro
sent
ful
ut h
in u
om
uer
ind
pro
om
in r
uirt
me
Ve
ipse
bar
laq
nar
tia
teri
Fer
aq
can
nib

Xenophoni

formatus uideretur. In quo quidem quid prius mirer non
 inuenio. magnanimitatem ne? aut temperantiam? seu con-
 tinentiam supra humanitatem? iustitiam inenarrabilem? aut
 a qua omnes hae proficiscebantur: prudentiam uere diuinam?
 siue comitatem illam maiestati coniunctam? quae quis diffi-
 cillima sit societas: in Ferdinando tamen miram semper con-
 cordiam praesetulere. Sed quae uirtutes exoptari in Rege pos-
 sent: quae uelut fulgentissimae stellae in Ferdinando non praes-
 fulserint? Omnes ille quidem: quae a Xenophonte in Cyro:
 ut Regem: qualem esse deberet: effingeret: perscriptae sunt:
 in uno Ferdinando ita emicuere: ut de uirtute & gloria cum
 omni antiquitate iure & merito certare posse uideatur. Illae
 uero imperatoriae: labor in negociis: fortitudo in periculis:
 industria in agendo: celeritas in conficiendo: consilium in
 prouidendo: si unquam in aliquo imperatore fuerunt: in hoc uno
 omnes fuisse asseueranter dicere audeo. Age uero omnibus
 in rebus quanta fuerit prudentia considerate. Haec quidem
 uirtus in primis: & Ferdinandi propria fuit: qua maximam
 merito auctoritatem apud omnes mortales est consecutus.
 Venerabantur siquidem eum principes Christiani omnes:
 ipseque sua prudentia rerum omnium fuerat moderator. Time-
 bant eum mirum in modum Christiani nominis hostes: nul-
 laque tam ferox: aut tam barbara natio est: quae inclytum Ferdi-
 nandi nomen non metuerit. Dicerem de mira eius temperan-
 tia: sed temporis ratio est habenda. Non tamen silentio praeter-
 teribo (quae sub hoc genere uirtutis cadit) patientiam illam
 Ferdinandi: atque immobilitatem admirabilem. Cuncta etenim
 aequo animo audiebat: nec furenter irascebatur unquam: nec ex-
 candescebat: uel ex rebus maximi momenti: quae cum aliquando
 nihil non ad iracundiam incitare potuissent: ille tamen

Xenoph.

huius

fina

ba nti

bruij

H

A patientia Guj

Justus
prudētissima animi firmitudine perstabat imotus : nec signū
quidem ullum turbationis præsefererebat . Quod est admirabi
lius : quo uirtus hæc in sumæ potestatis Rege p̄spiciebatur .

H Iustitiæ autem memoratissimū illud exemplum : quod nunc
occurrit : non duxi prætereundum . Degente in Sicilia Pro
rege Gaspare Spesio : cuius pater olim Ferdinandum in Ca
stellæ regnū induxerat : mulieres duæ uiduę Gasparem ipsū
repetundarum apud Regem accusarunt . Quamobrem Rex
iustissimus : causa cognita : Gasparem reum nō modo magi
stratu abdicauit : sed carcere etiā mulctauit : idq; omne : quod
iniuste expilauerat in Sicilia : probe Siculis iussit restitui .

munific Quis præterea Ferdinando munificentior : aut benignior ?
Nihil unq̄ alicui negauit . Nemini flumen illius benignitatis
fuit interdictum : neminemq; unq̄ a se tristem passus est disce
dere . Homines multissimos locupletauit . Longe plus ille
donauit : q̄ quod possidebat . dicereq; solitus fuerat : se sua
magis putare quæ donauerat : q̄ quæ sibi ad p̄prios usus reti
nerat . O dignā Ferdinando Rege uocem : Regemq; dignū :

dit qui toto terrarū orbī imperitaret . Magnifica item ædificia
extant ab eo q̄ plurima . Nam bello in primis Bethyco : cum
obsidere aliter Granatā urbem nō posset : tertio ab ea lapide :
oppidū suis pro castris extruxit : appellauitq; Sanctā fidem .
Quod inde ab incolis est frequentatum . Arces præterea mu
nitissimas & inexpugnabiles in deuictis Africæ locis ædifica
uit . Veluti in Tripoli : Massakhabir : Bugia : & Orano :
aliisq; suæ ditionis locis . Quemadmodū in hoc regno Caietę
urbis fortissima munimenta . Cœnobîa præterea : & templa
ac delubra pene innumera Deo erexit . Sicuti pulcherriſimum
illud Toletī : quod Regum nomine Diuo Ioanni dicauit : &
Cæsaraugustæ : Monasterium Sanctæ gratiæ : Romæq; &

monaste . #

alibi: quæ longum esset enumerare. Sed illud de Ferdinandi liberalitate uerissimum affert testimoniū: quod ex tot regnis cum nihil unquam male profuderit: sed tantummodo in res necessarias erogauerit pecunias omnes: nihil tamen in ærario reposuerit: nihilque fere post eius mortem inuentum sit: quod ipsum parsimoniam possit arguere. Cæterum natura Ferdinandus clementissimus fuit: nulliusque rei facilius obliuiscatur: quam iniuriarum. Vnde fit ut Iulio Cæsari ea in re (quemadmodum cæteris in uirtutibus) simillimus: ne minimum quidem unquam crudelitatis aut uindictæ signum præsetulerit. imo uero nihil habuit antiquius: quam ignoscere: quam parcere: quam omnibus ueniam facillime concedere. Laudabilissimum illud est: quod neminem unquam ad suam præsentiam accedentem: cuiuscunque criminis: etiam læsæ maiestatis reum: passus est affici poena mortis. Rebat enim maculari Regiam præsentiam: si quis ad eam confugiens moretur. In eo præterea regendi ac gubernandi labor admirabilis fuerat: & prope indefessus. Nam in regibus obeundis muneribus: nullis parcebat laboribus aut uigiliis. Plus ipse solus scribebat quotidie: quam qui uictum calamo tantummodo sibi comparant. Literas omnes: diplomata omnia: & chirographa: minimis etiam ac infimis de rebus: sua manu obsignabat. Ita ut sæpius (uel comedendi quidem causa) a negociis non daretur uacatio. Pietatis uero in Ferdinando exempla possem innumera referre. Sed unum: quod præ cæteris nunc mihi uenit in mentem: audietis. Reuertebatur a uenatu Rex apud Cordubam: eratque cum eo Fortesius quidam Balearis: qui rex nescioquid petiturus a Rege uenerat. cumque ad ripam Bethys fluminis puenissent: quod tum solito altius intumuerat: Fortesius mulæ insidens: uadaturus: flumen introiuit: sed prope medium aquæ impetu correptus: trahebatur prorsus in perniciem:

no factu
nullusq; ex astantibus periclitati suppetias ferebat. Tū Rex
ingenita pietate ductus: Pro scelus inquit cur homini nō suc-
curritis? Statimq; in flumen equo profiliens: hominem ppe-
perditum arripuit: atq; e periculo extraxit. Ille uero diu atto-
nitus: postq; Regem agnouit: supplex ad pedes eius procum-
bens: Quādoquidē Rex ait pientissime mihi uitam dedisti:
obsecro res quoq; meas mihi condones. Tum Rex: Meas ē:
nedum tuas. Atq; ita Fortesium mala in fortuna fortunatum
a se dimisit. Religionem item tātī Principis: quæ caput om-
re hys nium reliquarum uirtutum semper extitit: celebraturus:
nullam eloquentiam optari aut concipi posse sentio: quæ rei
explicandæ sufficiat. Habuit quoniam Ferdinandus ab incu-
nabulis uoluntatem (supra q̄ dici possit) propensam ad diui-
nitatis cultum: & Dei nomen propagandum. Et ideo Rex
potentissimus (ut paterna: auitaq; & Hispanorum Regum
propria uestigia imitaretur) strenue semper fortissimeq; con-
Judeos tendit. Iudæos præterea: aut Pseudochristianos isigni odio:
ex panti & perpetua seueritate est persecutus. ita ut homines huiusce-
modi suis e regnis penitus expulerit. Monacorum uero reli-
re for giones (quoad fieri potuit) reformauit. Schismaticos item:
ma sumoq; Christi uicario aduersarios: perinde atq; hostes: per-
seueratissime semper habuit: imo uero nullas unq; pactiones:
nullum unq; foedus percussit: in quo non sibi semper defen-
sionem Ecclesiæ reseruarit. Mittebat ille auri pondus non
paruum singulis anis Hierosolymam: & ad Caterinæ montē
Sinam: pro Christi sepulchro & fidelibus sustinendis. In-
structas etiam: & armatas triremes habuit continue: pro tu-
tandis littoribus a Maumetanis prædonibus. Rem diuinā
nunq; intermittebat. Dei nomen non solum nō execrabatur:
sed nunq; sine humili præfatione appellabat. Preces uero

Rem diuinā nunq; intermittebat.

de catholico

quotidianas : & solemnias singulorum dierum sacrificia sine intermissione perseveravit. Et in quantumcunq; adversis rebus semper gratias Deo retulit omnipotenti . Vnde Catholici Regis nomen sibi iure optimo : atq; honorificentissime uendicauit . Credendumq; est Deum maximum : ob tantam Regis pietatem & religionem : ipsum diu felicissimum uiuere permisisse : atq; e periculo olim mortis seruasse : cum Cannamatus ille uere impius : temeritate ductus : & animo (ut ipse dicebat) regnandi : euaginato ense : a tergo Regem aggressus est : uulnusq; collo inflixit : tanta quidem ui atq; impetu : ut nisi Regis monile ictum Dei munere excepisset : actum prorsus de eo tum fuisset . Rex autem (id quod maximae fuit constantiae) tum nulla emissa molli uoce : sicarium tantummodo seruari edixit : seruassetq; omnino hominem : licet imeritissime : nisi Reginae ira : & odiosum omnibus facinus obstitisset . Atq; religiosos mores & uitam religiosissimus exitus perpetuo approbauit . qui quidem ab eo tanta fuit animi securitate transgressus : ut si tum uere in caeleste domicilium properaret . tanta constantia : & mentis integritate : ut ne in extremo quidem uitae spiritu a sapientia derelictus uideretur . Quandoquidem tum sapientissimum illud testamentum dictauit . Nam cum legitimos filios post se uicturos sibi fata denegarint : quae infelicitas quae plurimos olim (ut legimus) uiros clarissimos est profecuta : nepotem Carolum Austriae Archiducem adolescentem quidem (ut audimus) excellentis ingenii atq; uirtutis : haereditateq; tanta dignissimum elegit . cui regna omnia : imperium omne : dignitates : res deniq; omnes suas delegauit . Qua in re uidetur Rex sapientissimus : praeter necessitudinis uinculum quod sibi cum hoc erat adolescente : futurae etiam rerum suarum diuturnitati prospexisse . Quantus uero Rex

Don Carlos de Austria

istie fuerit: quanta prudentia: & æquanimitate se gesserit erga
omnes in hoc regno Neapolitano: quæ charus omnibus fuerit:
id si unquam alias fuit perspectum: nunc demum exemplo mani-
festissimo est comprobatum. Nam cum regnum hoc Neapo-
litanum ciuilibus semper exarserit factionibus: & in Regum
mutatione: plurimæ semper & altercationes: & bella aliquan-
do: inter magnates: atque inter ciues exorta sint: in hac Ferdi-
nandi morte: ciuitas in primis hæc omnis Neapolitana: pce-
res: omnis nobilitas: populus: plebs: tanta: quanta non alias unquam
unione & concordia: Ioannam Reginam: Principemque Carolum
filium Austriae Archiducem: tanquam inclytissimi & benemeriti
Ferdinandi successores acceperint: Dominosque & Reges accla-
mauerint. Quam quidem ob rem uos omnes uiri Neapolitani:
magnatesque illustrissimi maxima profecto digni estis lauda-
tione. Sed non paruum tamen adiumentum rei huic attu-
listis tu etiam Raimunde Prorex præclarissime: uosque pruden-
tissimi consultores. Sed quemadmodum in extrema uita se
gesserit Ferdinandus: quam constantiam adhibuerit: ut tanquam
uere Catholicus probe expiatus & unctus moreretur: non est
quæ quispiam dubitet. Cum nemo unquam sanctius: nemo reli-
giosius discesserit ab humanis. Id quod nuper accidit Lusitana
in regione & pago Madrigalegii: decimo calendas Fe-
bruarii: anno ætatis eius quarto & sexagesimo. Ex quo autem
paterno suffragio cœpit regnare: octauo supra quadrage-
simum. Quo circa hominem tam multis uirtutibus præditum:
tot beneficiis in Christianam religionem collatis: quis nam
inficiabitur: piorum sedem: æternamque illam beatitatem asse-
cutum: quæ uiris de reipublica Christiana benemerentibus a Deo
opt. max. uirtutis præmio solet conferri. Nestrum igitur
fuerit illustrissimi principes: uiri que ornatissimi: quandoquidem

64. n.
obijt

Obijt 69. 10. 1. 64.

aliter iacturam hanc uestram : imo uerius totius Christianae
 religionis : propulsare non potestis : eandem æquo animo
 ferre . Quando nihil in se habuerit eius uita : quod mœrore
 sit prosequendum . nisi uirtutum præclarissimarum laudem
 & admirationem : perpetuamq; Regis felicitatem deplorare
 uoluerimus . Quare quid opus lacrimis ? Quid opus luctu ?
 Quin potius imitandi sunt Thraces illi : qui sibi laudem sapi-
 entiae uendicarunt : cum pro instituto habeant : natales ho-
 minum fletu : exequias uero cum hilaritate celebrare . Et eo
 magis : cum Ferdinandus iam senex & feliciter & continue
 in uitæ pelago sit uersatus : ac nunc demum ad portum : & ex
 terreno in regnum cœleste immigrauerit . Immortali igitur
 Deo potius gratias agite : qui hoc præcipue tēpore perfectæ
 felicitatis : eundem ad se pro benemeritis euocare decreuerit :
 ubi beneactæ uitæ & laborum ac uirtutis præmio æternum
 perfruatur .

*traa
 uiril?*

Neapoli : In ædibus Sigismundi Mayr
 Germani An . MDXVI

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, possibly a signature or date, also appearing to be bleed-through.

